DE

GASTRITIDE EIUSQUE SEQUELIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. MENS. OCTOBRIS A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANC. HENR. WIEDEMANN

WOLMIRSTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

L. VOIGTEL, MED. ET CHIR. DR.
B. GREESE, MED. ET CHIR. DR.
H. PARREIDT, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

G. F. E. WIEDEMANN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Experientiae fontes, cum juvenibus non adeo pateant, ut res, descriptione dignas, ea quidem comprobatas, publici juris reddere possint, quo et veterum usui, et legibus academicis satisfacerent, mihi quidem in hoc negotio utilissimum semper visum est, morbi cujusdam accuratam descriptionem, ex optimis auctoribus haustam, nec non a me ipso observatam, edere. Gastritidem autem elegi, quia et morbus est rarior, et ejus sequelae tam sunt variae, ut non modo observatio, sed etiam sola ratio, in earum natura explicanda, largiorem copiam habeat. Cui proposito, quantum satisfecerim, ipse probe scio, et a legentibus propterea, ut, tironis esse opusculum, meminerint, rogo.

VARIA MORBI NOMINA.

Gastritis, Inflammatio ventriculi, Cardialgia inflammatoria, Phlegmone ventriculi, Febris stomachica inflammatoria, γαστρίτης.

Cap. I.

Ventriculus tamquam fundus est organismi, ejusque in statu normali totius corporis salus atque incolumitas continetur. Quare optime jam Hippocrates, de ventriculo verba faciens, dicit: »Maris habens facultatem, quod omnibus dat, et ab omnibus accipit.« Itaque non mirum, tam muitiplicem, ac tam varium ejus cum ceteris organis consensum intercedere, ut quaevis irritatio organismi gravior in eum quoque influat, et versa vice ipsius affectiones morbosae gravissimas variorum systematum, ut systematis nervorum, praecipue sympathici, cutis, systematis uropoëtici, totius chylificationis, respirationis, sanguinis turbationes efficiat. Quamobrem, cum non minus hisce partibus subjectus sit, quam principatum quendam de iis teneat, in multis et periculosissimis casibus valde dubia diagnosis est, utrum ipse ventriculus, an organa ea, quae sympathia cum eo juncta sunt, laborent. Neque minus ventriculi situs, capacitas, extensio, pro aetate, vivendi ratione, tempore, statu ceterorum viscerum ac iutestinorum admodum varians, diagnosin difficilem constituunt.

Cap. II.

Ventriculi inflammatio, ut organorum omnium nobiliorum inflammatio a frigore incipit, quod ardens et quidem praecipue internus calor sequitur. Accedunt sitis vehemens, anxietas praecordialis. Regio epigastrica tumida est, calida, dolens, qui dolor tactu, inspiratione, tussi, unoquoque corporis motu augetur, ac vix ferendus plerumque est. Ventriculus maxime est irritatus, quam ob rem aegroti vomituritionibus excruciantur, res vel mitissimae ingestae dolorem augent sensumque impressionis, anxietatem summam, vomitumque dolorificum ipsum excitant. Morbo crescente vomitus freqnentior fit, ventriculus nil suscipit, omniaque assumta aut sola, aut cum bile viridi mixta, ejicit. Simul alvi dejectiones minuuntur, ad extremum plane desunt. Mox febris quoque accedit, pulsu frequenti, intermittenti, inaequali, contracto, duro, eximia.

Aeger somno privatus inquietus est, respiratio inaequalis, abrupta, frequens, oris cavitas sicca, urina sparsa. Nonnunquam hydrophobia accedit, spasmo oesophagi excitata, facies collabitur, singultus dolorifici observantur, extremitates calore carent, cutis flava fit, spiritus male olens, deliria adsunt et summa virium prostratio. Subito etiam dolor in regione epigastrica plane evanescit, alvus autem meteorismo expanditur, animus suspecta quadam tranquillitate gaudet, quae symptomata in gangraenam inflammationem transiisse significant.

Mox enim inter convulsiones atque animi deliquia mors vitam debellat.

LITERATURA.

V. Henning's Beschreibung der Kennzeichen und Kur der Entzündung des Magens und der Gedärme.

James Anesly. Ueber Entzündung und organische Verletzung des Magens. Auserlesene Abhandlungen für practische Aerzte Bd. 35. S. 541.

Fr. Jac. Victor Broussais Lehrstunden über die gastrischen Entzündungen und über die acuten Hautentzündungen. Aus dem Franz. von Künlin. Bern und Erlangen 1821. 8.

Joh. Fr. Gmelin. Geschichte der mineralischen Gifte. Nürnberg 1777. 8. Dessen Geschichte der Pflanzengifte. 2. Aufl. Nürnberg 1803.

Die Schleimhaut des Magens und Darmkanals im gesunden sowohl als krankhaften Zustande u. s. w. von Billard. Aus dem Franz. v. Urban. Leipzig 1828.

Aug. Gottl. Richter, Spez. Therapie. Bd. I. S. 552.

Wienhold, diss. de inflammatione occulta. Goett.

De Haen, rat. med. T 9. p. 24. T. 6. p. 258.

Journal de médec. pharmac. et chirurg. Tom. 48.

Journ. der Erfind. Theor. etc. St. IV. p. 74.

Stoll, rat. med. Tom. II.

Cap. III.

Verumtamen rarissime symptomata hujus morbi tam perspicue sunt expressa, tamque constantia sibi, sed variant admodum quoad morbi sedem,

durationem, typum, caussas. Fieri enim potest, ut aut peritonaeum solum, quod ventriculum obducit, inflammatum sit, aut omnes membranae simul. Ergo velamentum peritonaei, cum inflammatum est, rarissime in ventriculo solo inflammationis fines coërcentur, sed plerumque totum peritonaeum inflammatum est, quae igitur species magis ad peritonitidem referenda est. Saepe autem omnes membranae simul affectae sunt, quae species »gastritis phlegmonodes« vocari solet, nonnunquam autem sola membrana mucosa laborat, quae species morbi »erysipelacea« vocatur, quarum specierum accurata diagnosis valde difficilis est. Modo etiam inflammationis sedes praecipue in cardia, modo in curvatura minori modo in majori, raro ventriculus in toto ambitu simul inflammatione correptus est.

Cap. IV.

Quod attinet ad harum specierum diagnosin, erysipelaceae gastritidis diagnosis non minus quam phlegmonodis multis ac magnis difficultatibus implicita est. Febris enim in illa subinde plane deest. Aegroti conqueruntur solummodo de ardore quodam, modo sursum ascendente ad oesophagum, modo deorsum ad intestina, cibos non appetunt, nausea, vomitu cruciantur. Interdum inflammatio a ventriculo per oesophagum ad oris membranam mucosam propagatur. Tunc hae partes valde sunt rubrae, sensibiles, aridae. Subinde a pyloro usque ad canalis intestinalis mucosam progreditur, qua re saepe fit, ut molestiae primariae plane recedant,

earumque loco dolores colici, diarrhoea, abdominis dolor, impressione facta, appareant.

Cap. V.

Aliis in casibus chronica (1) magis gastritis est atque his symptomatibus manifestantur. Dolores prementes sunt, ubi cibi assumuntur praesertim solidiores, increscunt, horam vel dimidiam, vel unam post coenam incipiunt, doloribus a tergo usque ad regiones hypochondriacas protractis, miserosque interdum tanta vehementia invadunt, ut quasi cingulo abdomen constringi videatur. Accedunt nausea, vomituritio, et tunc demum, cum aeger vomuit, dolores etiam finiuntur. Vomitu autem aut ingesta omnia, aut fluidum salsum, pituitosum, ejicitur. Dolores tunc remittunt, donec denuo cibi ingeruntur. Lingua rubra est, rugosa, papillis prominentibus rubefactis; alvi excretio cessat, obstructio quatuor vel quinque dierum non rara est. Hae molestiae, postquam hebdomades quatuor vel octo remiserunt, vel plane etiam disparuerunt, subito animi affectibus, nimia ciborum quantitate assumta temperatura humida, frigida, denuo exacerbantur, ad extremum autem omnino non intermittunt, sed tantum remittunt. Valetudo aegri tali modo valde debilitatur, denique signa, ventriculi desorganisationem indicantia, observantur.

---

(1) Rampal. De la gastrite chronique. p. 31. Montpellier 1822. Jahrbücher der ambulatorischen Klinik zu Halle, herausgegeben von P. Krukenberg. Halle 1824. 203. p. 265 et seq.

Cap. VI.

Haec quidem ventriculi chronica inflammatio nequaquam semper pro acutae, male curatae, aut plane non curatae residuo habenda est, quamquam etiam ex acuta gastritide, non plane discussa, profecta esse potest, sed statim ab initio inflammationis subacutae speciem praebet, quod maxime causis certis, postea allatis, effici posse videtur. Ceterum gastritis chronica phlegmonodes rarissime observatur, sed fere semper ejus sedes in mucosa est, atque initio typum intermittentem, deinde remittentem, ad extremum continuum habet. Saepe sedes in pylori regione est. Tunc aegri maxime ad obstructionem inclinant, affectiones morbosae praecipue horae nonnullae post coenam, ubi chylus pylorum permeat, observantur.

Cap. VII.

Frequentissime infantes ventriculi inflammatione laborant, praecipue ii, qui cum adhuc matris lacte nutriti fuerint, desueti, cibos solidos assumere incipiunt, eorumque aut nimiam quantitatem, aut nimis crudos difficilesque concoctu. Talis inflammatio propter lentum decursum facillime initio medicum latere potest. Infantes tales odorem habent oris acidum, sitim nimiam, ac vix extinguendam. Accedunt crebri vomitus, mucum aquosum ejicientes, obstructio alvi aut diarrhoea aquosa, mucosa, non raro materias faeculentas, virides excernens. Valde inquieti sunt, insomnes in lectulo jactantur, contorquent se et incurvant, manibus alvum petunt, summo

calore laborant, pulsum valde frequentem habent, genua ad abdomen adducunt, perpetuo ejulantur. Ad extremum collabuntur et pallidi fiunt, oculi omni splendore carent, clamor eorum in vagitum miserabilem transit, denique quiete in dorso cubare incipiunt, oculos distorquent, cutis frigida fit, ac post paucas horas morte abripiuntur (1). Cadaveris sectio membranas ventriculi, praecipue in fundi regione, in materiam fuscam, subrubram, gelatinosam, mutatas demonstrat, facile digitis divellendam. Quae emollitio, cum nondum membranas omnes corripuit, mucosa tantum degeneravit, et gelatinosa atque mollis est, ita ut facillime rodendo a musculosa removeri possit. Verumtamen, ubi emollitio summum gradum assecuta est, ventriculus perforatur, et contenta fundum inter ventriculi et lienem in abdominis cavum effunduntur. Talis emollitio in canale intestinali quoque observatur, similibusque symptomatibus manifestatur.

Cap. VIII.

Quamquam negari nequit, emollitionem talem plerisque in casibus secundum symptomata inflammatione effici, hujus inflammationis symptomata tamen subinde plane desiderantur. Subito enim tunc aegrotus, brevi ante optima valetudine gaudens, vehementissimis abdominis doloribus affectus, post

---

(1) Hufeland's Journal B. 32. St. 2. p. 28.
De Haen, Heilungsmethoden Th. VI. Cap. VI. §. 2. B. 3.
Stoll, ratio medendi. B. 3. p. 384.

paucas horas morte abripitur, sectione ventriculum perforatum, antecedente procul dubio emollitione, demonstrante. Afferunt ejusmodi exempla Stoll (1), Morenheim (2), Michaelis (3) aliique permulti. Qua autem ratione haec tam inexspectata ventriculi perforatio, et subinde in tam exiguum spatium inclusa, orta sit, utrum ex ulcere aphthoso, an ex imperfecta ventriculi nutritione in tam circumscripto loco, ut nonnulli contenderunt, rem hoc modo non dilucidantes, an denique ex nimia succi gastrici aciditate, inter ipsum digestionis tempus, hanc litem equidem sub judice relinquo. Ceterum haec perforatio subita praecipue in infantibus observatur, ubi quis propter eorum inopiam loquendi facultatis, de errore quodam diagnoseos, propter non satis accuratam symptomatum observationem, non perspicue ab infantibus expressorum, cogitare posset, nisi in adultis quoque, symptomatibus inflammationis non praecedentibus esset observata (4).

Taceo autem ventriculi emollitionem, post mortem, quolibet morbo adductam, frequenter observatam, quam plerique hodie a succi gastrici natura corrodente, post mortem non viribus organismi vivi amplius restrictam, derivant, nonnulli quoque a sola putredine. Id enim in aliis etiam animalibus ob-

---

(1) Wienersche Beiträge B. II. S. 235.

(2) Medizinische Bibliothek B. I. Th. 3.

(3) Dreysig's Diagnostik.

(4) Saillant, Auserlesene Abhandlungen. Vol. 15. p. 631. Jaeger, Hufeland's Journal B. 32. St. 5. p. 8. Cruveilhier. Auserlesene Abhandlungen. B. 30, S. 187.

servatur, praesertim herbivoris, e. g. cuniculis; quorum sectionem, si post longius tempus, postquam necati sunt, instituimus, saepe totum tubum instestinalem emollitum, ac nonnullis locis perforatum invenimus.

Casibus autem in iis, in quibus praeter vomitum, diarrhoea quoque colliquativa infantes laboraverant, mucosa tubi intestinalis ita interdum affecta est, ut ab ore usque ad anum emollita sit, et saepe tunc ulcus pustulosum, vaccinae haud absimile, in colo invenitur. Haec tubi intestinalis emollitio in adultis quoque non plane desideratur, ac praecipue ad certos morbos, ut febrem nervosam, pneumoniam, encephalitidem accedit, quamquam inter ipsum morbi primarii decursum vestigia hujus gastritidis plane deerant (1).

Cap. IX.

Quod attinet ad morbi durationem, modo acuta modo chronica est. Phlegmonodes acuta rarissime observatur, rapidum autem decursum habet, et jam intra paucos dies mortifera est. Chronicae sedes fere semper in mucosa ventriculi est, decursum autem habet lentum, remittentem, recidivum, et ad extremum desorganisationes efficit. Quoad typum modo continua est, modo remittens, chronica adeo

---

(1) Morgagni ep. 49 §. 14.
De Haen, ratio medendi B. 9. p. 63.
Stoll, ratio medendi B. 3. p. 384.
Morenheim. Wiener Beiträge B. 2. S. 235.

saepe remittit, ut periodicum typum servet, ad extremum tamen habitualis est. Quoad symptomatum pespicuitatem in manifestam et occultam dividitur. Occulta igitur vel chronica esse potest, vel ea, quae ad aliorum morborum stadia ultima accedit.

Quoad caussam remotam sporadica esse solet, rarissime epidemica, qualem eam fortasse vocare possumus, quae ad febres typhosas epidemicas accedere solet. Deinde modo idiopathica, modo sympathica est. Porro rarissime simplex gastritis est, sed plerumque statim ab initio cum aliis morbis juncta, aut ipsa ad alios morbos, ut supra jam exposui, accedit. Chronica, praecipue in mulieribus, catameniis jam orbatis, cum splenis affectione nexa est, haud raro quoque cum polycholia. Ubi cum splenitide juncta est, dolor pungens in regione hypochondrica sinistra animadvertitur, dolorque etiam trahens in scapula sinistra. Accedunt sitis vehemens, saepius his magna aquae copia, modo acida, modo dulcis, modo insipida, in os profluit, dyspepsia, pyrosi laborant, colorem habent cutis ex viridi flavum. Quando cum polycholia juncta est, id quod praecipue fieri solet, cum in pyloro inflammationis sedes est, sapor amarus, color ictericus, dolor dextri hypochondrii adsunt. Notandum tamen est, haud raro desorganisationem lobuli sinistri hepatis primitivam ad pylorum transire et hoc modo secundarie desorganisationem hujusce ventriculi partis provocare.

Cap. X.

MORBI EXITUS VARII.

Resolvitur subinde inflammatio, praesertim acuta, ac tunc quidem maxime, cum mediocris vel media inflammationis intensitas adest, cumque statim ab initio secundum artis regulas curatur. Hoc vel sudore, vel urina critica perficitur, interdum vomitu atque diarrhoea, praesertim ubi hepatis simul affectio aderat, vel veneno inflammatio parta erat, rarissime metastasi in cutem, lichene simplici, erysipelade, sanguinis quoque profluviis, sponte ortis. Ubi in suppurationem inflammatio transiit, morbus supra fines justos protrahitur, crises vel cessant, vel imperfectae sunt, symptomata inflammationis ad certum usque gradum increscentia subito disparent, non autem prorsus, sed dolor acutus in sensum impressionis, cum anxietate junctum, mutatur, accedunt febris hectica, horripilationes, diarrhoea, sudores colliquativi, aeger indies magis macie consumitur. Pus in partibus ventriculi vel externis gignitur, vel abscessus inter membranas oriuntur. Quod cum fit, plerumque ventriculus sive cum tegumentis abdominis, sive cum uno ex reliquis visceribus coalescit. Tales autem abscessus vel in ventriculum ipsum aperiuntur, quo in casu aeger nonnumquam sanari poterit, vel in alia viscera pus effunditur, fistulas (1) creat, et hoc modo fere sem-

---

(1) Van Swieten, commentarii T. II. p. 150. Kade, Reilsches Archiv für Physiologie B. V. p. 365.

per mortem adducit, aut fistula ventriculi externa gignitur, ex qua pus cum cibis et potulentis profluit. Nonnunquam suppuratio valde est superficialis atque circumscripta, ita ut aegro vivente ejus symptomata desint, cum febris hectica quoque desideretur, plerumque autem tunc ulceris ambitu pedetentim adaucto, aegrum vel febris hectica consumit, vel ulceratione progressa, vasa sanguifera aperiuntur, et hoc modo haematemesi profusa aeger necatur. Alii perforatione ventriculi pereunt, cum contenta ventriculi, membranis ulceratione perforatis, in abdominis cavitatem effundantur, ibique peritonitidem efficiant.

Frequenter etiam in indurationem transit inflammatio, idque praecipue in gastritide chronica, atque indurationis sedes plerumque in pyloro est. Haec tamen induratio plerisque in casibus scirrhi ventriculi caussa fuit. Afficit autem modo majorem, modo minorem ventriculi partem, rarissime tamen totus ventriculus in massam scirrhosam degeneravit, cujus rei exemplum affertur (1). Exempla autem, pylorum in scirrhum degenerasse, permulta afferuntur, et sane quidem hoc propterea maxime fieri videtur, quia ibi plurimae glandulae aggregatae sunt, induratio autem glandularum facillime in degenerationem scirrhosam transit (2). Mem-

---

(1) W. Loftie in: London. medicinal journal for 1790. Vol. IX. Art. 2.

(2) Morgagni, de sedibus et caussis morborum Epist. XXIX. art. 6. Ep. XXX. art. 14. Ep. LXV art. 3.

branae tunc (1) saepe in octuplum incrassatae sunt textura normali in massam albidam, lardosam degenerata, in quam fila fibrosa intexta sunt. Pylori orificium tunc saepe adeo coarctatum est, ut calami scriptorii caulis aegre transmittatur. Rarissimus cardiae est scirrhus. Interdum tunica cellulosa tantum scirrhose degeneravit, interdum muscularis quoque una cum involucro peritoneali. Haud raro quoque in cadaveribus hominum, scirrho ventriculi defunctorum, adhaesio ventriculi cum organis propinquis animadvertitur. Si vero eodem loco, quo adhaeret istis organis, degeneravit ventriculus, quamquam ejus membranae ulceratione corrosae sunt, tamen foramen istis organis clauditur, et tali modo peritonitis prohibetur. Hoc autem modo lienem,

---

(1) Scripta de induratione ventriculi scirrhosa:

J. C. Pohl, de callositate ventriculi ex potus spirituosi abusu. Lipz. 1771.

J. F. Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie. II. B. 2. Abth. Leipz. 1818. pag. 324. seq.

Nouvelle bibliothèque médicale et Bulletin de l'Athenée. Sptbr. 1825.

Frorieps Notizen aus dem Gebiete der Heil- und Naturkunde. St. B. p. 127. (1826.)

Stoll, ratio medendi Vol. III. obs. 1. 7. 8. 17.

De Haen l. c. p. 12.

Amilhon in: „Sammlungen auserlesener Abhandlungen. B. VII. p. 517."

Van Engelen, ibidem B. IX. p. 734.

A. Portal, cours d'anatomie médicale T. V. p. 479.

Langguth, de tabe sicca lethali ex callosa pylori angustia in Halleri select. diss. pract. T. III. p. 63.

lobulum hepatis sinistrum (1), pancreas (2), peritonaeum (3), colon transversum (4), mesenterium (5), ventriculo adhaesisse, a scriptoribus narratur. Subinde inflammatio pylori bilis ductibus excretoriis communicatur, atque eo efficit, ut horum membranae incrassentur bilisque excretionem impediant, quo icterus, haud sanabilis oritur: inflammatione enim pylori sublata, haec tamen degeneratio remanet. Eodem modo tumores scirrhosi pylori bilis liberum transitum impediunt, quamquam ductuum structura normalis immutata non est (6). Aegri, tali scirrhosa ventriculi degeneratione affecti, indigestione habituali laborant, praesertim autem brevi post coenam molestiis, supra allatis, cruciantur. Observantur subinde symptomata recentis inflammationis, ac denique ulcus carcinomatosum oritur, quod sensim sensimque aut febri hectica aut arteriis ventriculi corrosis, haematemesi mortiferum est. Notandum tamen est, non semper inflammatione praegressa indurationem ventriculi scirrhosam gigni, sed eam cachexia quoque, simili modo, ut in mamma et testibus sponte oriri.

---

(1) Baillie. Anatomie des krankhaften Baues. p. 82. Aus dem Engl. mit Zusätzen von Soemmering.

Lietaud. Hist. anatomic. médic. L. I. Observ. 148.

(2) Reil'sches Archiv für Physiologie B. IV. S. 375.

(3) Schwedische Abhandl. XI. 1790. p. 12.

(4) Haller's opuscula patholog. Obs. XXIII.

(5) Stoll's Heilungsmethode B. II. S. 14.

(6) Praktische Abhandlungen über verschiedene Krankheiten des Unterleibs von Dr. C. R. Pemberton aus dem Engl. von Gerhard von dem Busch.

Ubi in gangraenam transit inflammatio, dolores subito plane evanescunt, extremitates autem frigidae, pulsus parvus, vix percipiendus, facies hippocratica mortem praenuntiant.

Cap. XI.
DIAGNOSIS.

Difficillima est hujus morbi diagnosis aegro vivo, neque umquam tam certa, ut non dubitationem admittat, quia signa inflammationis ventriculi non satis distincte a ceterorum abdominis organorum inflammationibus sejuncta sunt, neque etiam, ubi adsunt satis perspicua sunt. Modo dolor valde exiguus est, quin imo in chronica gastritide prorsus desideratur, ventriculus tamen gravissime inflammatione laborat, modo vehementissimi ventriculi dolores adsunt, quamquam ventriculus non est inflammatus. Sic in neuralgia coeliaca dolores observantur vehementissimi, ex sola nervorum dynamica quadam affectione orti, in cholera ventriculi sensibilitas summa adest, ita ut aegri ne minimum quidem tactum ferant, inflammatio tamen deest. Praeterea affectio quoque tegumentorum ventriculi externorum rheumatica valde cujusvis attactus impatiens est. Accedit, quod ventriculi situs valde variat, quod hepatis lobulus sinister saepe nimie extensus est, quod glandulae mesenteriales in vicinitate, diaphragmatis processus affecti esse possunt, denique, quod ventriculi functiones non inflammatione solum, sed aliis quoque morbis aliisque in organis perturbantur. Quae omnia facillime errorem in diagnosi permit-

tunt, quem sectio demum refellit, quid quod ne symptomata quidem inflammationis, sectione patefacta, adeo oculos feriunt, ut non errori locum praebeant. Rubet enim membrana mucosa ventriculi post mortem subinde miro modo, et tamquam artificialiter injecta esse videtur, quamquam inflammatio non adfuerit. Haec enim vasorum injectio longe aliis quoque morbis efficitur. Observatur in hominibus, vi peremtis, ut suffocatione, deinde apoplexia, convulsionibus, subinde apud eos quoque, qui phthisi purulenta, hydrope, aut post amputationes perierunt. Qui quidem rubor optime eo declarari posse videtur, ut arteriae sanguinem omnem, in iis adhuc haerentem, pro elasticitate sua tamquam mechanice in vasa capillaria relaxata protruserint, eoque vel vasa nonnulla dilaceraverint, ita ut ecchymomata orta sint. Certum quidem est argumenta inflammationum ventriculi occultarum apud nonnullos scriptores hoc phaenomeno niti (1). Quare symptomata reliqua quoque accurate perpendenda sunt, num vestigia suppurationis, indurationis, gangraenae adsint. Recurro hic quoque ad emollitionem membranae mucosae post mortem, praecipue tunc observatam, cum aegri brevi post coenam obierunt, ubi, nisi inflammationis symptoma antecessit, neque etiam in cadavere animadvertitur, post mortem demum succo gastrico effecta esse videtur (2).

---

(1) Vide: Nicolas Abicot. Pratique anatomie Leç. III. Dshellony. Medico-chirurgical transactions. V. IV. p. 871.

(2) Hunter on the digestion of the stomach after death. A. d.

Inflammatio ventriculi acuta facillime inter aegroti vitam cognosci potest, nihilominus tamen etiam experti in charactere morbi dynamico bene dignoscendo errant. Debilitas enim spuria, pulsus parvus, frequens, debilis, anxietas maxima, facies collapsa, extremitates frigidae, astheniam indicant, quamquam haec symptomata gravissimam quoque et maxime sthenicam inflammationem manifestare solent. Multo autem difficilior chronicae ventriculi inflammationis diagnosis esse solet, quo in morbo dolores minores tantum adsunt, qui, cibis solidioribus assumtis, augentur, quare facile pro cardialgia morbus habetur. Ceterum bene notandum est, cardialgiam quoque saepenumero statu subinflammatorio ventriculi membranae mucosae effici.

Cap. XII.

Morbi autem, quibuscum propter symptomata similia ventriculi inflammatio facile commutari possit, hi sunt:

1) Cholera. Verum tamen hic morbus plerumque epidemice grassantur et tunc quidem maxime, cum dies valde aestuosi, noctes tamen perfrigidae esse solent. Deest autem in ea febris, sitis atque dolores non adeo sunt vehementes atque ardentes, ut in gastritide, ac praeterea non modo vomitus frequens, sed diarrhoea quoquo fusa observantur, cum

---

philos. transact. in d. observ. on differ. parts of animal oeconomy. p. 226 — 231. Uebersetzt von Scheller. Braunschweig 1802.

aeger, gastritide affectus, vomitu tantum plerumque laboret, alvo obstructa.

2) Neuralgia coeliaca. Hic dolor quidem vehemens, non autem sensibilitas magna, sub attactu aucta, observatur, quin imo compressione abdominis vehementi minui solet, quamobrem tales dolores eo levant, ut, aut, quantumvis fieri possit, incurvati sedeant, abdominis musculis ventriculum comprimentes, aut ventriculi regionem fortiter corpori solido obnitantur.

3) Inflammatio musculorum abdominis tumore rubro externo insignis est, non autem adeo dolet ceterisque cum gastritidis symptomatibus juncta est.

4) In rheumatismo musculorum, qui in ventriculi regione expansi sunt, dolor valde augetur, si cutem supra eos loco moveas, praesertim ubi in fascia superficiali rheumatismus haeret, cum autem in ipsorum musculorum fibris sedes morbi est, tegumenta sine dolore moventur, dolor autem vehementissimus fit, cum tactu fortiori musculos ipsos contra fibrarum cursum moveas.

5) In hepatitide plerumque quidem ventriculus simul laborat, desiderantur autem in initio saltem dolores vehementissimi, ardentes, aegrotus vomitu quoque non laborat, pulsus non adeo parvus, frequens, contractus est, praeterea hepatis affectio symptomatibus ictericis, dolore in regione hypochondriaca dextra, in humero atque scapula dextra perspicua redditur.

6) Splenis affectio facillime cum inflammatione ventriculi chronica commutatur. Splen enim supra

modum in chronica inflammatione ampliatus, ventriculum comprimit, atque hoc modo dolores ventriculi ipsumque vomitum provocat. Quare ante omnia respiciendum est, num aegrotus in universum ad splenis affectionem inclinet, num color ei sit faciei totiusque corporis splenicus, temperamentum melancholicum. Praeterea splenis regio accurate est inquirenda, atque ante omnia videndum, num splen sub tactu doleat, num sit tumidus, dolores adsint pungentes in humero et scapula sinistra, sitis vehemens etc.

7) Pancreatis quoque affectiones commutationem admittunt, ceterum difficillimae diagnoseos sunt, in universum tamen id quidem proprium habent, quod aegri tales rapide macie consumantur, atque aut salivatione aliqua aut defectu salivae laborent.

8) Denique cordis quoque morbi in diagnosi non negligendi sunt, praecipue enormitas cordis sic dicta. Hic enim cor, nimis sanguine repletum, diaphragma deprimens, simul ventriculum molestat, atque dolorem ventriculi et vomitum provocare valet.

Cap. XIII.

AETIOLOGIA.

Tametsi ventriculi inflammatio haud raro substantiis noxiis, nimis acribus, aut venenatis excitari potest, memoratu tamen dignum est, eum res, summa acritudine eximias, quae externe applicatae statim inflammationem gignunt, sine detrimento per-

ferre. Cochleariam armoraciam rasam, piper, sinapin, ceteraque ejusmodi sine damno ingerimus, nihilominus tamen hae res extra ventriculum, corpus longe aliter afficiunt. Unde igitur apparet, ventriculum esse ita constitutum, ut quibusdam sub conditionibus multas magnasque injurias perferat. In memoriam revocentur velim narrationes, quae de cultrivoris, vitrivoracibus et pyriphagis traduntur (1). Etiamsi historiolis hisce non ex toto fides habenda sit, sed multa earum citra dubium fictitia vel additamentis exornata esse videantur, exemplis tamen haud destituimur, quae ventriculum ingentes injurias exantlare posse, testentur, id quod vulnera (2) ejus et operationes circa eum institutae abunde confirmant. Nihilominus his exemplis organi aegrotantis dignitas haud refellitur, si quidem istis in exemplis consuetudo, cujus maximam vim esse novimus, magni momenti est, in his vero corpora, priusquam vulnerentur, ut plurimum valida, nec alio morbo infracta fuerunt. Effectus igitur alius redundaret necesse fuit, quam in iis, quibus anomaliae e causis internis supervenerunt, vitiique seminia per annos forsan in corpore delituerunt. Praeter consuetudinem summa etiam vis vitalis, in hac nobili parte congesta talia omnia impedimenta devincere

---

(1) Ludwigii primae lineae anatomiae pathologicae. Lips. 1785.

(2) Voigtels pathologische Anatomie. Th. II. pag. 497.
Richters Anfangsgründe der W. A. Bd. IV. Cap. IX. §. 318. S. 216. seq.

posse videtur. Quod attinet ad praedispositionem, sexus muliebris atque aetas infantilis praecipuam inclinationem ad hanc inflammationem habere videtur, praeterea ventriculus alioquin jam laborans, ut aphthis, scirrho, facillime, quavis occasione oblata, denuo inflammatur. Caussae vero inflammationem ventriculi procreantes, vel externae, vel internae sunt. Ad externas refero ictus vehementissimos, ventriculi regionem percutientes, atque in universum mechanicas, unde igitur hernias quoque ventriculi non sejungo. Ictus autem vehementissimus in ventriculi regionem statim mortem adducere valet, sectione ventriculum omnino non laesum esse, demonstrante, sed mors in hoc casu paralysi plexus solaris intrasse videtur. Deinde huc pertinent ingesta noxia, ut ciborum nimia quantitas, panis recens adhuc calens, fungi venenati, nimia aromatum acrium assumtio, ut piperis, potulenta spirituosa. Notum enim est, homines potui spirituosorum, praesertim spiritus frumenti nimis deditos saepenumero scirrho pylori perire. Praeterea effici potest aqua frigida, quantitate nimia, corpore calefacto, assumta, vel glaciei usus. Nimiae doses Kal. nitric. ut ℥j—jj per diem, quae contra (1) rheumatismum commendatae sunt, valde periculosae sunt, praeterea venenis acribus, corrosivis, arsenico, hydrarg. sublim. corrosivo, cortice Mezer., deinde mechanice deglutitione fragmentorum vasorum vitreorum, ossium, arena multa cum cibis ingesta.

---

(1) Journal der Medizin. Bd. 71.

Venena talia mechanica nonnumquam sine noxa prima specie deglutiuntur, ad extremum tamen inflammationem ventriculi chronicam provocant.

Tertio huc refero combustionem, per cibos nimis calidos, vel corrodentes, ut phosphorum, alcalia, acida. Quarto bilem, nimis acrem, quae in hepatis morbis in ventriculum effunditur, nimiam succi gastrici aciditatem, vermes, hirudines ingestas.

Quinto nimis magnas corporis intentiones et ventriculi praecipue, ut in vomitu, in cholera.

Ad causas internas refero laesiones et inflammationes cerebri, ut in encephalitide traumatica, in hydrocephalo infantium acuto. Porro constitutionem epidemicam, contagia, ut in febri petechiali, typho, scarlatina, morbillis, ubi exanthema simul ventriculi membranas obsidet.

Haud raro quoque ab organis vicinis inflammatio ad ventriculum propagatur, ut ab hepate, liene, intestinis, peritonaeo. Denique ulcera, vi clausa, fonticulos, subito sanatos, exanthemata suppressa, podagrae metastasin, pedum sudores repulsos etc.

Quod ad genesin inflammationis chronicae pertinet, caussae vix, ac ne vix quidem in aprico sunt. Inflammationes chronicas generatim partes membranaceas glandulosasque opprimere novimus, quam ob rem hepar, parotis, oculi tunicae, ventriculi ac tubi intestinalis, urethra, fauces, creberrime sedem iis largiuntur. Hinc structura ventriculo peculiarem dispositionem ad hoc vitium impertit. Si occasionales caussas requiras, omnia, quae gastritidem acutam movent, et illas inflammationes concitare

possunt. Saepissime igitur processus iste inflammatorius magis secundarius seu consecutivus e gastritide vera eaque non satis discussa, residet. Opportunitas ad inflammationes istiusmodi saepe nil, nisi debilitatis ventriculi, quae dicitur, qualis a febribus gastricis nata et exculta, animadvertitur. Longe autem frequentissime spiritus frumentacei abusum, emesin immodicam et diurnam, excessum in venere, jejunium longius, animi affectus, uti moerorem, sollicitudinem etc. subsequuntur, quae tanto facilius inflammationem chronicam movent, quanto magis ventriculum, functione ejus turbata, debilitant, perpetuumque erethismum alunt. Ut plurimum exiguo ventriculi loco limitantur.

Cap. XIV.

PROGNOSIS.

In universum ideo bona esse vix potest, quod ad nobilissimas corporis partes organum aegrotans refertur, cujus a functione normali totius corporis salus pendet, deinde, quod nervorum copia abundat, iisque cum omnibus partibus reliqui organismi cohaeret. Neque diagnosis quoque, ut jam vidimus, certa ubique est, periculum autem certissimum, mors proxima, sive convulsionibus, sive gangraena, sive deliquio animi lethali propter sympathici affectionem. Acuta sthenica in universum melioris prognoseos, nisi forte ex caussis perniciosissimis, ut venenis, vulneribus orta sit, acutae autem ejus, quae ad febrem putridam typhodem accessit, prognosis pessima. Chronica initio non adeo

graves molestias creat, neglecta tamen, aut a medico male explorata, desorganisationes ventriculi membranaram efficiens, certissimam mortem affert. Malum, si supra totum ventriculum, sive supra majorem ejus partem inflammatio extenditur, si ejus focus in orificiis, praesertim in pyloro est, propter magnam glandularum hoc loco multitudinem, periculumque inde emergens scirrhosae indurationis. Quae inflammationes venenis acribus, purgantibus drasticis, podagra. repulsa effectae sunt, praecipue in hominibus cachecticis ac sensibilibus, facile periculum vitae minitantur. Sola inflammationis resolutio salutaris est, ceteri omnes exitus malam prognosin constituunt, praesertim gangraena, quae paucis horis lethalis est. Suppuratio aegrum phthisi ventriculi interficit, induratio, ut jam supra exposi tum est, saepissime post plures demum annos, vitae finem imponere solet.

Cap. XV.

CURATIO MORBI.

Prima indicatio id mihi spectare videtur, ut potentiae nocentes removeantur. Quare, si ventriculus nimis magna ciborum copia impletus est, eoque tamquam in statu paralytico versatur, vola manus leniter ventriculi regionem perfricabis, quodsi non snfficit vel electricitas in auxilium vocari potest, fomenta aromatica externe adhibebis. Nocet enim hoc in casu infusorum theiformium nimia quantitas ingesta, quia magis etiam ventriculum paralyticum relaxant. Quibus rebus, cum ventriculi

functionem denuo excitaveris, vomitum excitare studeas incitamentis mechanicis e. g. eo, ut pennae scriptoriae parte plumosa, oleo imbuta, fauces et oesophagum titilles, quia emetica, tunc interne sumta, nil fere agunt; posthac clysmata adhibeas, quibus aetheris sulphurici aliquantulum admixtum est, incitamentaque alia hujusmodi volatilia. Notandum tamen, haec omnia tantummodo tunc prospero successu adhiberi, cum inflammatio nondum exculta est, quia alias valde nociva sunt. Aegrotus, cum res nimis calentes deglutivit, statim potulenta frigida in usum vocanda sunt, olea mitia, lac, deinde diaeta blanda postea per aliquod tempus, ut mero lacte, aut rebus mucilaginosis vescatur. Ubi quis aquam frigidam, corpore valde calefacto, biberit, ventriculi regio rebus spirituosis perfricanda est, interne aether sulphuricus cum tinctura opii adhibendus, corporis motibus vehementioribus sudorem ciere studeat, deinde lectulum petat, ibique per longum tempus insudet. Plerumque tunc natura sponte vomitum excitat, quem, si non sufficere videtur, augere studeas, si plane deest, artis ope provoces, solummodo autem tunc, cum inflammatio nondum exculta est. Emeticum si damus, certum esse debet, ut Zinc. sulphuric. gr. X. vel XII., cujus effectus, ubi cessat, incitamentis mechanicis adjuvetur. Venena chemica, aqua tepida antea diluta, Weissii instrumento (Magenpumpe) exantliari possunt, praeterea antidota efficacia danda sunt. Primum tamen est, ut venenum mature removeatur, cum antidota omnia, sic dicta, parum prosint. Quare etiam eme-

tica sumantur, non autem ex tartaro stibiato, quia simul alvum solvere solet, eoque venena profundius in intestina detrudit. Incitamenta mechanica rebus mucilaginosis et pultiformibus involvenda sunt. Quodsi igitur res acutae, ut acus, ossium fragmenta etc. ingestae sunt primum involvendae eae sunt, deinde acidis quoque dilutis earum contritio adjuvanda. Contusiones atque ictus in ventriculi regionem, ante omnia venaesectionem postulant, deinde inunctiones antispasmodicas, fomentationes aromaticas, cataplasmata, interne antispasmodica; fluida acria, ut bilis perversa et corrupta acida ingesta quam primum evacuanda sunt: ventriculi inflammatio, ubi vomitu vehementissimo exoriri posse videtur, remedia antispasmodica tam interna, quam externa requirit, ut pulverem aërophorum, aq. Menth. cum Tinct. Opii, sinapismos supra ventriculi regionem. Caussa morbi rheumatica post sanguinis detractionem satis fortem ante omnia antirheumatica indicat, praesertim camphoram, quodsi inflammatio arthritide retrograda provocata esse videtur, arthritisque charactere morbi adynamico insignis erat, incitantia volatilia ut aeth. sulph. dosibus maximis etiam cochlear minus (1), aqua Menth. dilutum, adjectis camphorae emulsione, infusisque theiformibus ex aq. meliss., praeterea podagra balneis tepidis pedum, sinapi adjecta, pedum perfricationibus fortissimis, sinapismis ad primariam sedem applicatis, revocanda est. Verumtamen, ubi ventriculi

(1) Journal für praktische Aerzte. 11te Abhandlung. S. 178.

inflammatio ex podagra sthenica suppressa orta est, validis sanguinis detractionibus praemissis diaphoretica fortissima ut liq. c. c. succin. etc. danda, suppressio mensium, haemorrhoidum fluentium, exanthematum, eorum restitutionem requirit, quodsi fieri nequeat, morbum vicarium similem, arte provocatum.

Cap. XVI.

Indicatio altera ea est, quae charaterem morbi dynamicum respicit: quare in gastritide inflammatoria sthenica sanguinis detractiones fortissimae in usum vocandae sunt, neque in hoc negotio forsan pulsus plenus, tensus, durus, calor adauctus requiritur, sed ut supra vidimus, quo magis sthenicus morbus est, eo magis debilitas spuria, pulsus parvus, debilis, calor totius corporis diminutus, deliquium animi, affectiones nervorum spasticae eminent. Quare si morbus recens, vomitus, anxietas, dolor vix ferendi, sanguinis detractio major esse debet, sanguisque e vena fluat, usque dum pulsus tollatur, deliquium animi evanescat, affectiones spasticae minuantur. Subinde venaesectione unc. XVI—XX in adultis morbi vehementia infringitur, post horas autem quinque vel octo, nova exacerbatio, simili vehementia insignis, observatur. Itaque denuo vena secanda est, quidquod van Swieten post undecimam demum venaesectionem in homine quodam remisisse morbum, aegrumque esse restitutum, narrat.

Et in sthenica, et in asthenica pulsuum debilitas, extremitatum calor diminutus, nervorum affectiones observantur, attamen in sthenica symptomatum topicorum vehementiae respondent, cum in asthenica nonnumquam symptomata topica vix observentur, quare etiam, venaesectione facta, omnia pejora fiunt, in sthenica, periculum tollitur. Respiciamus vero ad morbi intensitatem, durationem, aetatem, corporis constitutionem, genium morborum regnantem, epidemiarum characterem. In infantibus venam non secamus, sed hirudinibus II. IV. VI. VIII. pro aetate et morbi vehementia ad regionem epigastricam applicatis, propositum assequimur, quae in adultis quoque non negligantur, ubi symptomata topica non cessant. Ubi inflammatio ex mensium aut haemorrhoidum suppressione orta est, optime ad anum applicantur, quo in loco in universum in gastritide et enteritide efficacissima esse a Francogallis perhibetur (1). Interne antiphlogistica, quamdiu inflammatio perdurat, non feruntur, etsi rebus mitissimis involvuntur, quia vomitum vehementissimum excitant. Ante omnia autem caveamus, ne antispasmodicis vomitum lenire studeamus. Incitamenta igitur omnia a ventriculo removeamus, aeger res mitissimas assumat earumque minimam quantitatem, ut lac vaccinum tepidum, emulsiones g. arabic., quae si et ipsae vomitum provocant, removeantur earumque loco vaporaria adhibeantur, fomentationes, clysmata nutrientia. Saillant l. c. in infantium gastritide

---

(1) Handbuch der Physiologie des Menschen von Dr. Joh. Müller I. B. 1. Abtheilung. 1833. p. 174.

succum hb. Portulac. recenter expressum, omni bihorio cochlear, utilissimum dicit, secundum Baglivum succum Sonchi officinalis. Aqua frigida quoque utilissima est, quod veteribus jam innotuit, ac recentioribus temporibus a Fr. Hoffmann, nuperrime a Brandis, Hafniensi, commendata est, ea quidem ratione, ut omni hora aeger vascula tot, quot placet, assumat, deinde externe quoque fomentationes frigidae adhibeantur. His enim plerumque calor minuitur, sudores critici intrant. Nescio an lactuarium quoque utile non sit, quia vim habet opii sedantem, non autem narcoticam. Utiles sunt praeterea fomentationes ex hb. Cicut. Hyosc. inunctiones ex oleo Chamomill. cautissime tamen, ac post remissionem demum inflammationis, quia ventriculi regio saepe adeo dolet, ut tactum vel levissimum perhorrescat.

Neque etiam clysmata negligenda sunt, quibus faecium accumulatio in intestino crasso removeatur, cum praeter hoc sanguinem ad intestina alliciant, atque hoc modo ejus congestionem ad ventriculum minuant. Sint autem composita e rebus blandis, ut mucilagine gumm. arabic. cum oleo lini, quia quodvis irritans nocet. Quibus remediis, cum sthenia morbi fracta est, solusque adhuc erethismus remansit, medicamina sedantia adhibeantur ut Calomel c. Opio, aut Opium c. Camphora in forma emulsiva. Addantur inunctiones antispasmodicae in ventriculi regione, assumantur infusa theiformia ex floribus Sambuc. Chamomill., applicentur sinapismi Haec curatio morbi antispasmodica praecipue in hominibus erethisticis ac debilioribus locum habeat necesse est, quia apud eos sola sanguinis detra-

ctione remediisque antiphlogisticis morbum non repellimus. Erethismus enim, non exstinctus, novam semper inflammationem provocat.

Multo quidem difficilior asthenicae ventriculi inflammationis curatio est, quia ejus natura atque indoles valde variat. Modo enim statim ab initio morbus asthenicus est, modo asthenia ex sthenia orta est, in utroque tamen casu raro mera asthenia praevalet, sed cum erethismo juncta est. Itaque ubi statim ab initio morbus asthenicus est, quam quidem indolem chronicae fere ventriculi inflammationes habent, adjuncto erethismo, sanguinis congestiones regionem epigastricam versus locum habent idque praecipue in mulieribus dysmenorrhoea aut lienis affectione laborantibus. Quae cum ita sint, in initio a remediis incitantibus abstineas, sed antea venaesectio unciarum duodecim instituatur hirudinesque sive ad anum sive ad regionem epigastricam applicentur. Tunc, si alvus obstructa, salibus solvatur, si soluta est, Ammon. muriatic., Tart. tartaris. adhibeatur. Malum, ubi jam protractum est, atque inveteratum, Calomelan. utile est granum unum ter per diem, quibus remediis, si aegri status melior fit, roborantia dentur et resolventia ut Extr. Tarax. cum Tart. tartaris., denique ubi sanguinis congestio plane sublata, remedia sedantia, antispasmodica ut Magister. Bismuth. c. opio, hepar sulph. idque tunc praecipue, cum ad pyrosin aeger inclinat. Diaeta pro maxima parte sit tenuis, blanda, liquida, facilis concoctu. Constet igitur ex lacte vaccino aqua diluto, sero lactis, frugibus recentibus, quibus, ubi pyrosin augent, jusculum vitulinum, gallinaceum proferendum. Ubi pyrosis non adest,

cerasorum, uvarum, continuatus usus commendatur. Praeterea tales moveantur multum, equitent, ambulentur.

Alter casus is est, in quo asthenia residuum est inflammationis sthenicae cum magno erethismo juncta, qui morbum protrahit. Hic narcoticorum usus statim ab initio utilis est, adjectis remediis, secretiones atque excretiones adjuvantibus. Utile igitur Kalom. c. Opio, Magist. Bismuth. Liq. Kal. acetic. Non negligantur quoque antispasmodica externa, ut cucurbitularum siccarum, sinapismorum, vesicatoriorum adplicatio. Omitto hic gastritidis ejus curationem, quae ad febres typhosas accedere solet, quia ad typhum proprie pertinet, atque id tantum dico, eam non esse plane asthenicam, sed stadium sthenicum quoque adesse, antiphlogistice curandum, attamen brevissimum.

Nonnumquam asthenica haec inflammatio cum arthritide quoque complicatur, praesertim in hominibus aetate provectiore, quo in casu Naphth. Vitriol. magnae doses a **Lind** commendantur, in mulieribus et viris debilioribus cum hysteria ac hypochondria, ubi Valerian. Moschum, Castor. damus. Subinde etiam rheumatica est atque Camphoram indicat. Hujuscemodi casus saepenumero pessimae sortis sunt, quia aeger omnia, vel forma mitissima assumta, ejicit. Nihilominus periculum summum est, et gangraena in promptu. Tunc solis incitamentis externis auxilium ferre possumus. Interdum tamen aquae frigidae usus, et interne et externe adhibitus, ut jam supra exposuimus, aegrum servare valet.

Inflammationis character, quando paralyticus est, inflammatio in gangraenam exit, et ad quod-

cunque tunc recurrimus, vanum. Quare ne omnino nil fecisse videamur, secundum scholae regulas et interne, et externe, incitantia damus.

Cap. XVII.

Multis in casibus eo quoque ventriculi inflammationem mitigamus, ut organorum reliquorum actiones augeamus. Remedia autem laxantia, hic memoranda, per os ingesta, a ventriculo irritato non feruntur, nisi in asthenica, praesertim chronica. Damus tunc acid. mineralia refrigerantia, salia laxantia, ol. Ricin., in sthenica clysmata adhibemus ex hordei decocto c. aceto, Oxym. squillitic., aut sal. mirabil. parva copia. Simili modo externe cataplasmata adhibemus, quae in asthenica vel ex acribus substantiis componere possumus, balnea tepida, addimus inunctiones, sinapismos, vesicatoria, quae in sthenica post sanguinis demum detractionem apta sunt.

Cap. XVIII.

Indicatio quarta in eo versatur, ut curationem variam, secundum varios morbi exitus, instituamus. Quare si inflammatio dispelli videtur Calom. c. Op. et Camphor. dabimus, sinapismis utimur, infusa theiformia interne sumi jubebimus, Empl. ex G. Ammoniac. c. Camphor. applicamus, balnea tepida, regimen diaphoreticum commendamus. Tales autem saepe ad obstructionem inclinant, quare clysmata, aquam Püllnaensem adhibemus. Ubi in suppurationem transit inflammatio, non multum ad aegrum servandum facere valemus. Sit diaeta blanda, paullulum tantum assumat, lacte vescatur, jusculo carnis diluto, ovulis, farina Maranthae et

similibus, quae omnia, si vomitu ejiciuntur, clysmatibus ex jusculo carnis, addito vitello ovorum alatur. Ubi abscessus in ventriculi cavitatem aperitur, diaeta blandissima opus est, ut lacte asinino cum aq. Selterana, aq. c. oxymelle, infuso Chinae aquoso. Ubi extrorsum aperitur, plerumque fistula remanet, non impediens tamen, quominus per longum adhuc temporis spatium vita fruatur. Van Swieten hominis cujusdam mentionem injicit, qui cum tali fistula decem adhuc annos vixerit. Ante omnia tunc diaeta apta opus est, corporis motione rara, ne adhaesiones rumpantur, munditie fasciarum. Parum ars valet in indurationibus dispellendis, nocet tamen nimia sedulitate. Sustentemus vitam diaeta blanda, adhibeamus resolventia mitissima, ut Extr. Taraxcc. serum lactis dulce, acidum zooticum quoque tunc utile fuisse, perhibetur. Cardialgiam symptomaticam antispasmodicis sedemus. Interdum tunc aq. Lauroceras. c. Extr. Bellad. efficacissima fuit, secundum Lentin infusum theiforme ex hb. Cicut. Carcinoma cum ortum est, omnis spes vana, cura autem palliativa, sedans esse debet. Itaque alvus obstructa, quae plerumque adest, et propter vomitum, saepissime repetitum, ut in Caritatis nosocomio vidi, per tres integras hebdomades continuata esse potest, solvenda profusior coërcenda. Abstineamus a medicaminibus irritantibus, quia vomitum cient. Cibi tantummodo, facillimi concoctu assumantur iique paucissimi. Alimentum maxime idoneum continuus seri lactis, vel lactis vaccini ipsius usus est, ubi autem cuncta vomitu ejiciuntur, clysmatibus nutrientibus miserrimam vitam sustentamus. Narcoticis, praesertim morphio-acetico do-

lorum vehementia mitiganda est. Sub finem morbi euthanasiae leges observandae sunt, ne aeger, jam moribundus, vana auxilii spe, molestias magis, quam levamen capiat.

VITAE CURRICULUM.

Ego *Franciscus Henricus Wiedemann*, evangelicae confessioni addictus, d. m. Januarii ultimo MDCCCXIII Erxlebiae prope Helmstadium natus sum, patre *Georgo Friderico Eberhardo*, medico practico, matre *Henriette* e gente *Lilie*, quibus adhuc superstitibus valde gaudeo.

Gymnasium ecclesiae cathedralis Magdeburgensis per sex integros annos frequentavi. Tum vero examine maturitatis superato festo St. Michaëlis a. MDCCCXXXI medicinae studio in academia Fridericiana cum Witenbergensi consociata Halensi me dedi, ibique ab Ill. *Hefter* prorectore civium academicorum numero adscriptus, et a beato *Sprengel* in album facultatis medicae inscriptus, his praelectionibus interfui: Ill. *Germar* de mineralogia, Ill. *Nitzsch* de zoologia et helminthologia, Ill. *Schweigger* de chemia ac physice, Ill. *Gerlach* de logice et philosophia fundamentali, beat. *Sprengel* de botanice nec non de anatomia et physiologia plantarum, Cel. *Moser* prosectoris de osteologia, Ill. *Friedlaender* de encyclopaedia ac methodologia medicinae nec non de pharmacologia, beat. *Meckel* de anatomia speciali, generali, pathologica, de physiologia, idem in arte cadavera rite dissecandi me instituit, atque in demonstrationibus de cadaveribus hominum et anima-

lium auditorem me habuit, Ill. *Krukenberg* de pathologia ac therapia tam generali quam speciali, Ill. *Niemeyer* de arte obstetricia. Deinde institutionibus clinicis his interfui Ill. *Krukenbergi* medico, Ill. *Blasii* chirurgico, Ill. *Niemeyer* obstetricio. Audivi praeterea Ill. *Blasium* de akiurgia cursumque operationum, hoc magistro perfeci.

Posthac festo St. Michaëlis a. MDCCCXXXV almam Berolinensem literarum sedem frequentavi, in civiumque academicorum numerum receptus sum a rectore universitatis magnifico Ill. *Steffens*, et in album facultatis medicae inscriptus a viro Ill. *Busch* tunc temporis decano, ibique audivi Ill. *Rust* de chirurgia tam universali, quam speciali, Cel. *Ascherson* de arte fascias rite applicandi, institutionibus clinicis adfui Ill. *Rust* et Ill. *de Graefe* chirurgicis, Cel. *Wolff* et Cel. *Truestedt*, Ill. *Bartels*, medicis Ill. *Juengken* ophthalmiatricis, quibus omnibus summe de me meritis gratias ago.

Inde ab initio m. Februarii h. a. chirurgi munere sub medico legionario Cel. *Grofsheim* fungor.

Jam examinibus omnibus, coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite ad me conferantur.

T H E S E S.

1. In amputatione penis ligaturam scalpello praeferam.
2. Ceratotomia superior in extractione cataractae longe postponenda inferiori.
3. Carditidis signa tam dubia atque ambigua, ut ab aliis thoracis inflammationibus vix discerni possit.
4. Nullus est in tenebris pudendi rubor.